

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0314

0312

0318

0308

0323

0303

0363

0263


0413

0213

0813

Ende

Anfang



301

ignotae erant, quas constantes militibus stipendia solverunt. Hujus castri situs talis est: promontorium amplum et latum mari imminet, munitum naturaliter scopulis ad aquilonem et occidentem et austrum usque, orientem versus turris est firma, a templariis primis aedificata (**B**) pro tuitione peregrinorum. Hujus castelli aedificatio ad hoc utilis fuit, quod conventus Templariorum eductus de peccatrice et omni spurcitia plena civitate Acon in hujus castri praesidio resideret usque ad reparationem murorum Jerusalem.

Anno Domini 1218, praedicabatur continue crux in occidente contra orientales, unde visae fuerunt cruces in coelo mirabiles in territorio Coloniensi et Trevirensi et commotio grandis per totam Alemanniam facta fuit propter haec et alia miracula ad transfretandum. Congregati igitur Theutonici in maximo numero applicuerunt cum navibus Ptolemaidem sive Acon in Martio. Post ascensionem autem Domini seperatis cogonibus et rostratis galeis armatis, Johannes praefatus rex Jerusalem cum patriarcha et peregrinis et duce Austriae tribus domibus et copiosa multitudine Christianorum inierunt consilium super exemptione tractatus concilii Lateranensis, in quo conclusum fuit de militia Christiana intromittenda in terram Aegypti. Nam in eodem concilio probatum fuit per expertos, non esse possibile, quod Christiani pacifice Syriae et terrae sanctae possent dominari, nisi Aegyptus eis esset convicta. Et hoc rei probavit eventus, quia, quam cito Syria Damasci confoederata fuit Aegypto sub Almarico rege Jerusalem, statim in magno periculo stetit regnum Jerosolymitanum, antequam confoederationem nemo sancto regno poterat nocere. Ideo sancti patres in praefato concilio decreverunt, prius Aegyptum domandam et postea ad terram sanctam et alias orientis terras properandum. Instructis ergo classibus mense Majo post dominicam ascensionem praefatus rex Jerusalem Johannes cum duce Austriae et multitudine fidelium prospero vento ad portum Damiatae urbis pervenerunt. Porro Damiata civitas erat maritima, quae alio nomine dicitur Pachneumurus, et munitissima metropolis Aegypti, dives et populosa, mercationis repleta. Dum autem in portu Damiatae nostri applicuissent et triduo in mari exspectassent sequentes quosdam capitaneos, ante